



Universitätsbibliothek Paderborn

**Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis
Disciplinis & religione Christiana**

Regino <Prumiensis>

Parisiis, 1671

54. Cùm sacerdos moritur, quid de ejus rebus observetur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14622

Apud Rha-
ban. in fine li-
ibri primi de
ministris Ec-
clesiarum.

discernens à ceteris cibis. Ergo cum tanta sit
plaga peccati atque impetus morbi ut medica-
menta corporis & sanguinis Domini differen-
da sint, auctoritate antistitis debet quisque ab
altari removeri ad agendum pœnitentiam, &
eadem auctoritate reconciliari. Hoc est enim
indigne accipere corpus & sanguinem Domi-
ni, si quis eo tempore accipiat quo debet agere
pœnitentiam. Sancti namque ac religiosi &
Deo acceptabiles antistites cum sub rectum
Dei intrant, ibidem Dominus per eos ingredi-
tur, tanquam Deum suscipiant. Et quando
pane vitae & poculo frueris, quando mandu-
cas corpus & bibis sanguinem Domini, tunc
Dominus sub rectum tuum ingreditur. Ubi
vero indigne ingreditur, ibi ad judicium ingre-
ditur illi accipienti.

Cum sacerdos moritur, quid de rebus ejus
observetur. Ex Concilio Ilerdensi.

Concil. Ilerd.
c. 16.

LIV. Licet de re hujuscemodi, quam
constituere salubri ordinatione decernimus,
prisca auctoritas canonum nequaquam silue-
rit, sed evidenti sanctione præceperit ut cujus-
cunque Ecclesie Pontifice defuncto, non pas-
sim pro libitu suo in earum rerum direptio-
nem, quas obiens dereliquit, quisquis irruat,
domumque subvertat, sed sacerdos qui ex-
equiarum tempore adest, omnia quæ ad utilita-
tem & conservationem pertinent, debet dili-
genti circumspetione munire; tamen quia
hæc ipsa sanctio, quod pejus est, à multis
Clericis cognoscitur violari, ita ut occumber-
te sacerdote, * expectato affectu, totaque

* expedorato

disciplinæ severitate posthabita , immaniter
quæ in domo pontificali reperiuntur invadant
& abstrahant , id nunc omne hujus placiti vel
constituti inter nos censura placuit custodire ,
ut defuncto antistite , vel etiam adhuc in su-
premis agente , nullus Clericorum cuiuslibet
ordinis , officij , aut gradus , quicquam de do-
mo auferre præsumat , vel de utilitate , quæ
* instrumentum domus esse dignoscitur , de * instrumenti
mobilibus & immobilibus rei ecclesiasticæ
conetur invadere , nihil furto , nihil vi , nihil
dolo suppressim , auferens , atque abscon-
dens . Sed is cui domus commissa est , subjun-
ctis sibi cum consilio * Clerico uno vel duobus * cleri
fidelissimis , omnia usque ad tempus Pontificis
substituendi debet conservare , & his qui in
domo inveniuntur Clericis consueta alimenta
administrare . * Subditus autem antistes sus- * Substitutus
cepta ea , prout * discellor suus ordinavit , vel * decessor
huic Deus inspiraverit , uti his debet quos co-
gnoverit disciplinæ & caritati decessoris sui fi-
deliter paruisse . Quòd si quisquam post hæc
cuiuslibet ordinis , ut superius dictum est , Cle-
ricus quacunque occasione de domo Ecclesiæ
vel de omni facultate quippiam probatus fue-
rit abstulisse vel forsitan dolo aliquo suppres-
sisse , reus sacrilegij prolixiori anathemate
condemnetur , ut vix peregrina ei communio
concedatur . Quia durum est ut hi quos constat
in servitio Domini cum primæ sedis antistite
desudasse , illorum qui suarum rerum incuba-
tores vel utilitatibus servientes atque vacantes
fuisse noscuntur despectibus aliquatenus cru-
cientur .

E e iiii